

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
PRAESCRIPTIONE EXTINCTIVA

C V M

INTERITV IVRIVM PER NON VSVM

HAVD CONFVNDA

A V C T O R E

AEM. LVD. HOMBERGK *filii* Bach.

MARBVRG. CATTOR. MDCCCL.

Ob raritatem & argumenti præstantiam denuo typis expressa.

HALAE,
TYPIS HENDELIANIS.

DIGESTA TITIO IVARLICIA

DE

PRAESCRIPIONE EXPLICATIVA

CAVI

INTERIUS IRRAM THRONI ASYM

HAB. CONFLANDENDA

SAVIORE

ALM 170 HOMINIS 91 840

MAGISTER CECILOR MDCCL

OPUSCULUM QVOD IN LIBRARIIS PRAESERTIM QVOD IN LIBRARIIS PRAESERTIM

ALIEN

ET TITIUS VITIANUS



**DISSERTATIO IVRIDICA
DE
PRAESCRIP TIONE
EXSTINCTIVA**

CVM
INTERITV IVRIVM PER NON VSVM
HAVD CONFVNDA

I.

PRAESCRIP TIONES AB ORIGINE EX-
CEPTIONES ESSE.

Et si nonnullis minus expeditum videatur, utrum prae-
scriptionis verbum una cum re, quam designat, in Latio na-
tum sit, an vero Romani illud acceperint a Graecis, qui-
bus

4 *De praescriptione extinctiva cum interitu*

bus exceptio παραγωγη dicitur: (a) satis tamen constat, praescritiones iure antiquo & ex instituto primaeuo hunc saltem in finem comparatas fuisse, vt reo prodeissent ad repellendam vel submovendam intentionem actoris. Hinc non exceptionem tantum metus, doli, pacti, iurisurandi veteres dixerunt, sed etiam praescriptionem. Nec praescriptio aliud quid est, quam exceptio, vocabulo latius sumto, pro omni allegatione rei, sive intentio actoris sit fundata, sive minus, (b) sive peremptoria exceptio (c) obiiciatur sive dilatoria. (d) Significatione tamen magis speciali praescriptionum appellatione veniebant exceptiones a possessione & vsu vel non vsu iuriū & temporis lapsu petitae, de quarum natura & in-dole praeclarae exstant virorum doctorum obseruationes.

§. II.

AVT POSSIDERE, QVI PRAESCRIBUNT,

AVT NON POSSIDERE.

Duplex autem harum praescriptionum ratio est. Quaedam enim in praesribente supponunt possessionem, vel quasi possessionem, rei alienae: quaedam vero etiam non possidentibus competunt. Illae praeter non usum & temporis lapsum possessionem requirunt, qua velut basi & fundamento nituntur:

hæ

(a) vid. BACHOVIVS ad pr. I. de vñuc. VINNIVS ad rubr. I. de except. in fin. & in Partit. Lib. 3. cap. 47. lit. p. H. DE COCEII in dissert. de praescript. anom. & extraord. ff. 87.

(b) L. 11. ff. de except. l. pen. & ult. C. cod. l. 3. ff. 1. ff. de praeuar. l. 3. ff. de appellat. l. 2. ff. 1. ff. ad leg. Iul. de Adult. l. 2. C. si contra ius vel util. publ. l. 29. pr. ff. de solut.

(c) vid. l. pen. circ. fin. ff. de re iud. l. 29. ff. eod. l. 2. C. de prec. Imp. offer. l. 2. C. sent. rescind. non poss. l. 91. ff. de s. lut.

(d) L. 1. 12. C. de except. seu praescript. l. f. C. de except. l. 29. C. de pact. conf. CONNANVS in Comm. I. Ciu. lib. 3. cap. 11. n. 23. P. FABER. Sem. lib. 1. c. 21. GILKEN de vñuc. P. I. c. 2. n. 15. BACHOV. l. c.

hæ a solo non vsu & temporis lapsu vnicē pendent. Illæ in iudiciis realibus, hæ in personalibus potissimum locum habent. In illis requiritur bona fides & iustus titulus, in his non æque. Illæ iure Veteri etiam velut ad acquisitionem comparatae erant, hæ magis ad destructionem tendunt, vel si mauis, ius vel obligationem non vsu & temporis lapsu extinctam supponunt. Illæ velut in supplementum usucaptionis inventæ sunt, & iure nouo constituunt peculiare acquisitionis genus, quod & dominium tribuit & actionem: hæ in finibus nudæ exceptionis subsistunt.

III.

DE PRAESCRIPTIONIBVS, QVIBVS POSSIDENTES

SE TWENTVR.

Ac illarum quidem præscriptionum, quibus reus in possessione constitutus agentem submovet, potior atque antiquior ratio esse videtur, quam caeterarum. Licet enim præscriptionis vocabulum in sensu latiori omnes exceptiones comprehendat, quibus reus se defendit: siue possideat quid, siue nihil possideat; tamen præscriptiones etiam iure veteri, quatenus ad acquisitionem quasi comparatae erant, saltem ad possessores rerum corporalium pertinuisse videntur, non ad hos qui nihil possidebant. Argumento est usucaptionis LL. XII. TAB. inuestigæ ratio; quæ possessionem rei alienæ indistinctæ supponit, nec in rebus omnibus, nec personis quibusuis obtinebat. Qua de causa ICti primum his, qui vsu capere non poterant, auctores extitisse videntur, ut se tuerentur exceptione longioris possessionis, licet consilio magis quam auctoritate Legis: eamque exceptionem, tanquam nomen usucaptionis haud ferentem, præscriptionem dixerunt.

(e) Quod cum acquiſſimum effet, etiam Praetoribus se pro-

A 3

basse

(e) F. CONNANVS Comment. Iur. lib. 3. cap. 11. n. 2. in fin. p. m. 283.
F. C. CONRADI in bistor. usuc. fl. 10.

videtur hoc consilium. (f) Vnde factum, ut populus eo iure vteretur, usque dum tempus, cuius definitio Magistratus arbitrio relata videbatur, Principum Constitutionibus terminaretur, quod sub Hadriano contigisse, cum aliis suspicamur. (g) Neque in immobilibus solum, sed etiam in mobilibus idem ius obseruatum fuit; quamvis ratione triennii, quo res mobiles usurpiantur, dubium superfit. (h) Quamobrem ab hoc tempore expediti iuris usum fuit, quod is, qui rem alienam bona fide & iusto titulo per longum tempus possedisset, praescriptione tutus esset, si forte usurpacio locum non haberet. Hinc illa *longae vel diutinae possessionis prescriptio* cuius passim mentio fit in Digestis. (i) Successit deinde nouum ius, quo is, qui seruitute non vi, non clam non precario diu usus est, eam *iure impositam* habere videtur. (k) Praescriptionis autem vocabulo illud non designari in Digestis haud mirabimur, si consideremus, non exceptionem tantum, sed etiam actionem exinde datam fuisse, (l) quam praescriptiones originetus non tribuebant, omnino vero in illis requiri bonam fidem & titulum speciale, quem docere seruitutis usurpator non potest. Vnde extraordinariam & anomalam praescriptionem dixit H. Cocceius. (m) Quum autem in iuribus usus pro possessione

(f) *Idem l. c.*

(g) I. VAN DE WATER. *obs. lib. 2. cap. 18. p. 230. IAN. A COSTA ad pr. I. d. usuc.*

(h) MARCIANVS in l. 9. ff. *de diu. tempor. praeser. conf. GALVANVS de usufruct. cap. XI. num. 15. VAN DE WATER l. c. p. 230.*

(i) *vid. omnino l. 3. ff. de diuers. temp. praeser. l. 9. l. 12. cod. l. 76. ff. 1. de contrab. emt.*

(k) IOR. VAN DE WATER l. c. p. 230. CONRADI in histor. usuc. ff. 12. E. OTTO in diff. de usuc. seruit. cap. 2. ff. 10.

(l) VULPIANVS in l. 1. ff. fin. *de aqua & aqua pluv.*

(m) VULPIANVS in l. 10. ff. *si seruit. vindic.*

sessione esset, ab ICtis & Prætoribus, post sublatam lege Scribonia seruitutum usucaptionem, illarum præscriptio inualuit, qua is, cui seruitus a non domino legitime constituta est, post longum tempus, instar bonæ fidei possessoris, aduersus dominum negatoriam actionem mouentem se tuetur. n) Firmata tandem Imperatorum Constitutionibus longi temporis præscriptione, o) aliam insuper, quæ longissimo tempore perficeretur, superadditam esse, non est, ut pluribus ostendamus. p)

IV.

QVANDO SINE POSSESSIONE NON PROCEDAT
PRAESRIPTIO.

Quo vero manifestius pateat, quando sine possessione non procedat præscriptio, ante omnia admonendi sumus, iura & actiones partim solo non usu perire, partim tum demum, si alter præterea sit in possessione vel quasi possessione eius rei vel iuris, ad quod persequendum actionem comparatam habemus. Illic solus non usus & temporis lapsus ad destruendum ius nostrum sufficit: cum leges negligenteribus hanc præstiterint desidie sue poenam: hic omissione exerciti, quam non usum vocamus, haud sufficit, sed ex parte aduersa inter alia requiritur possessio, qua reus velut suum tenet, quod est nostrum. Ac singula quidem iura ad alterutram classem redigere iam non vacat. Nec expedita omnia sunt in hoc arguento, quamvis paeculara sint, quæ ad eius illustrationem contulit GOTHOFREDVS

OTTO

(n) H. COCCIVS in diff. de prescr. anom. & extraord. tom. II. f. 20.

(o) tot. tit. C. de long. temp. prescr.

(p) tot. tit. C. de prescript. 30. vel 40. annor. E. OTTO ad pr. inst. de perp. & temp. act.

OTTO de BERGER. q) Minus dubii habet, quod ad præscriptionem ex parte rei toties possessione opus sit, quoties, ius vel actio, de cuius interitu queritur, ira comparatum est, ut solo non vsu haud extinguatur. Quemadmodum autem iura realia non vtendo regulariter haud pereunt, r) sed tum saltem, si res ipsa qua iuri nostri objectum est, ab alio detineatur; ita hoc præscriptionum genus iudicis realibus & actionibus in rem scriptis maxime conuenit, quandoquidem in illis reus ut plurimum possidet id, quod actor intentione sua complectitur. Contra non possidentem enim actiones reales frustra moueri, non est, ut multis probemus. Nec præscriptio, quatenus exceptionem a possessione & temporis lapsu simul petitam notat, citra possessionem concipi potest. E contrario possessor rei vindicatione conuentus longi temporis præscriptione se tuerit. s) Qui hereditatem pro herede vel pro possesso diu possedit, triginta annorum præscriptione tutus est. t) Extraneus pignoris vel hypotheca possessor, longi vel longissimi temporis præscriptione agentem submouendi facultatem habet. v) Debitor ipse non nisi post quadraginta annos præscriptionis beneficio gaudet. w) Qui seruitute nec vi nec clam nec precario diu vsus est, x) vel eam iusto titulo & bona fide constitutam habet, aduersus dominum negotioriam auctio-

(q) in diff. de rebus mere facultatis sub præsidio viri celeberrimi I. C. CLAPROTH habita Göttingæ 1745. add. s. STRYK in dissert. de non vsu iuris questi Vol. 4. disp. 10. TOB. IAC. REINHARTH de eo quod circa amissionem iurium & priuilegiorum per non usum justum est. Erford. 1734.

(r) vid. G. O. de BERGER l. c. §. 19 sq.

(s) vid. l. 2. l. ii. C. de longi temp. præscript.

(t) l. 7. C. de petit. hered. l. 3. C. in quib. caus. cess. longi temp. præscriptio.

(v) l. 1. §. 2. si adu. cred. l. 7. pr. de præscript. 30. annor.

(w) l. 1. §. 1. C. de annual. exc.

(x) l. 10. ff. si serv. vind. l. 1. ff. 1. ff. de aqua & aquae pluv.

actionem mouentem longi temporis præscriptione se defendit. (y) Actio quod metus causa eadem præscriptione excluditur. (z)

V.

DE NON POSSIDENTE PRAESCRIBENTE.

Sequuntur præscriptiones, quibus reus se tuerit, licet nihil possideat. Nituntur illae sola dispositione legis, vi cuius iura quædam & actiones non videntur per tempus legitimum extinguntur, quamvis alter nihil ex alieno teneat. Ut enim aquissimum erat, bonæ fidei possessorem post longum tempus aduersus dominum præscriptione defendi, ita Iure Ciuiili summa ratione cauetur, vt qui ius suum per longum tempus in usum haud deduxit, negligenter pœnam luat eoque priuetur. Quo fit, vt alter, qui obligatus erat, vel in cuius præiudicium ius quæsumus habebamus, libetur vel libertatem recuperet, tametsi nec animo nec corpore concurrat, ac ob id conuentus agentem exceptione submovidit potestatem habeat. Quae licet recte satis dici possit præscriptio, & velut exceptio a temporis lapsu petita, revera talis sit, nec leges deficiant, vbi hoc nomine designatur: frequentius tamen præscriptionum appellatio, præterim in Digestis, ad possidentes refertur. Quando autem locum habeat temporis præscriptio, licet reus nihil possideat, ea de re iam dispiciamus. Occurrunt primo præscriptiones temporales generativi. Quoties enim intra certum tempus quid agendum, exceptio temporis locum habet, si alter post lapsum termini præfiniti experiatur, id que indistincte, siue reus possideat aliquid, siue nihil possideat.

(y) vid. E. OTTO de usuc. seruit. cap. 2. §. 10.

(z) L. 3. C. de his que vi metusue causa.

deat. Pertinet huc titulus Digestorum *de diueris temporibus præscriptionibus*, ad quem exempla ex vniuerso iure magno numero collegit IOANNES VOET. (a) Speciatim commemorare liceat questiones fisci, in quibus omnibus, exceptis cauiss, vbi minora tempora seruari specialiter constitutum est, *viginti annorum præscriptio* custoditur. (b) Imprimis vero huc spectant iudicia personalia, in quibus *longissimi temporis præscriptio* locum habet. (c) Quamuis enim reus in his quoque iudiciis interdum alieni quid teneat, veluti depositarius rem depositam, creditor pignus: fundamentum tamen præscriptionis ibi non est possessio, nec reus ad extingendum ius alterius quid confert, sed silentium eius cui actio competit, per tempus legitimum, illi destruendo sufficit.

VI.

OLIM NVLLAM PRAESCRIPTIONEM COM-
PARATAM FVISSE AD EXSTINGVENDVM
IVS ALTERIVS.

Quodsi iam ea, quae diximus, vltierius perpendamus, non potest non manifestum esse, præscriptionem, cum officio suo fungitur & actori obiicitur, non habere effectum extingendi ius alterius, sed actionem saltem excludere. (d) Id quod in vtroque præscriptionum genere obseruare licet, siue reus possideat quid, siue nihil possideat, adeoque tam in realibus, quam personalibus iudiciis. Quoties enim solus non vsus, & temporis lapsus iuri cuidam destruendo sufficit, illud legis auctoritate perit & extinguitur, eo statim

(a) in Comment. ad Pandect. lib. 44. tit. 3. §. 6.

(b) l. 13. ff. de temp. præscr.

(c) l. 3. l. 4. C. de præscr. 30 vel 40 annor.

(d) vid. GILKENIUS de usuc. & præscription. P. I. cap. 4. n. 21.

tim momento, quo fatalis terminus est præterlapsus, etiam antequam reus præscriptione temporis se tuerur. Hoc paeto v. gr. seruitutes non utendo dicuntur amitti (e) interire (f) deperdi (g) deperire (h) perire (i) extingui (k) & quidem, vt recte monent viri docti, ipso iure, (l) nec tum demum, cum reus præscriptione agentem submouet. Neque alia iudiciorum personalium ratio est, in quibus præscriptio 30 vel 40 annorum locum habet, postquam actio, qua alter experitur, solo temporis lapsu sublata est. (m) Cuius generis etiam est illa longae possessionis præscriptio, qua is, qui rem alienam bona fide & iusto titulo diu possederat, aduersarium repellebat, non hunc in finem, vt dominio suo eum priuaret, sed ad excludendam vindicationem. Ius quippe alterius, hoc est dominium, præscriptione extinctum non esse vel inde patet, quod rem a tertio, in cuius manus forte peruenit, recte vindicet, non obstante eo, quod a priore possessore præscriptione submotus fuerit. (n)

B 2

VII.

(e) tot. tit. Dig. quibus modis seruit. amittit.

(f) l. 13. C. de seruit.

(g) l. 6. §. 1. ff. quem. seruitut. amittant.

(h) d. l. 6. §. 1.

(i) l. 3. ff. eod.

(k) l. n. ff. eod.

(l) vid. FRANZKIVS in Comment. ad Pand. lib. 8. tit. 6. n. 2. §^o
27. seq. LAVTERBACH. in colleg. Th. Præct. lib. 8. tit. 6.
§. 1. §. 5.

(m) vid. l. 3. C. de præscript. 30 vel 40 annor.

(n) l. 8. §. 1. C. eod.

VII.

NEC DOMINIVM PRAESCRIP TIONES
IVRE VETERI TRIBVISSE, NEG
ACTIONEM.

Quemadmodum autem effectus ille iurium & actionum extinctius præscriptionibus, quatenus in terminis nudae exceptionis subsistunt, male tribuitur, cum leges ipsæ negligentes hac poena afficiant & desides iuribus suis priuent: ita nec præscriptiones olim possessoribus dominium tribuisse vel actionem, dubio caret. Hinc qui longi temporis præscriptione tutus erat, amissa rei possessione vindicationem non habebat, sed interdictis saltem experiebatur recuperandæ possessionis, dominio penes alterum permanente. (o)

VIII.

PRAESCRIP TIONES, QVIBVS POSSIDENTES
SE TVENTVR, SENSIM ALIAM PLANE AC-
CEPISSE FORMAM ET QVOMODO VSV-
CAPIONI EXAEQVATAE SINT.

Hactenus de præscriptionibus, quatenus velut exceptiones ad submouendam vel excludendam intentionem actionis comparatae erant. Iam admonendi sumus, præscriptiones in gratiam possidentium introductas, sensim atque sensim adolescendo aliam plane & a veteri distinctam accepisse formam. Ex quo enim veteribns visæ sunt præscriptiones constituere proprium quoddam acquisitionis genus, IVSTINIANVS vero (p) præscriptionis & usuacionis

(o) vid. A. FABER. *coniect. lib. 19. cap. 10. n. 2.*

(p) in l. vn. C. de usuc. transformanda.

pionis iura veluti confudit, factum est, ut quod a temporis lapsu & diutina possessione reis saltem ad excipendum paratum erat auxilium, progressu temporis dominii vel quasi dominii causa esse cooperit, modusque evaserit acquirendi. Cuius quidem mutationis insignis hic effectus fuit, ut qui longi vel longissimi temporis exceptione se defenderat, possessione rei casu amissa, ob quaesitum diutinae possessionis præscriptione dominium, vindicationem habeat aduersus quemcunque possessorem. (q) Vnde est, quod usucaptionis & præscriptionis nomina passim coniungantur. (r) Quemadmodum vero usucapio sine possessione non procedit, ita præscriptio, quatenus modum acquirendi constituit & in supplementum usucaptionis inuenta est, non possidentibus haud prodeat. (s) Nec illa præscriptionis & usucaptionis exæquatio ad præscriptions temporis, quibus non possidentes sc̄ tueruntur, pertinet. (t) Hinc notandus diuersus huius vocabuli usus. Nam si præscriptio possessione nitatur, præscribere idem est, quod acquirere, fin autem reus præscriptione se tueatur, nec possideat, præscribere significat excipere.

IX.

LONGI TEMPORIS PRAESCRIPATIO QVA-
TENVS DOMINIVM TRIBVAT ET NVM
ACTIONEM PRODVAT?

Quae cum ita sint, mirari subit, quod alii scrupulos hic sine ratione moueant, & longi temporis præscriptionem, actionem producere negent. Mouet illos, quod præ-

B 3

scriptio

(q) vid. A. FABER. l. c.

(r) v. gr. in §. pen. I. per quas pers. cuique acquirit. l. 54. ff. de euictio.

(s) CVIACIVS Obseru. Lib. 18. C. 27.

(t) conf. TITIVS in not. ad Lauterb. p. 1337. Thes. Mollenbecciani.

scriptio longi temporis nominatim inter exceptiones referatur. (v) Sed minus idonea ratione illos ut manifestum est. Præscriptio enim, quatenus excludendae intentioni agentis inferuit, etiam hodie exceptionis naturam habet, atque eatenus non magis actionem producit, quam exceptio SCti Macedoniani. At cum nemo hoc inficias unquam iuerit, præscriptio vero hodie aequa ac usucatio inter modos acquirendi numeretur, nihil obstat, quominus illam actionem aduersus quemcunque possessorem vel turbantem producere statuamus. Ut rationes nostras hunc in modum subducamus, facit quod Principalibus Constitutionibus caveatur, ne cui longa & indubitate possessio auferatur (x) & præscriptio perpetuam possidendi securitatem inducat. (y) Hinc deficiente directa actione, quæ dominium supponit, post longi temporis præscriptionem primum utilis data fuit. (z) Atque hunc in sensum capienda sententia VLPIANI: (a) eum, qui iurauit fundum suum esse, post longi temporis præscriptionem actionem utilem habere debere. Non ut A. FABER (b) putauit, propter iurisrandi religionem, sed ob longi temporis præscriptionem. Accedit VLPIANI (c) auctoritas, statuentis, eum, qui ius aquae ducendae diuturno usu & longa quasi possessione natus erat, utilem actionem habere, non tantum contra eum, in cuius agro aqua oritur, vel per cuius fundum ducitur, sed

(v) in l. 5. ff. i. ff. de diuersi. temp. prescr. l. u. 12. C. de prescript. longi temporis.

(x) ff. 7. I. de usucap.

(y) l. 15. ff. f. Dig. de condit. inst. l. 7. C. de prescr. long. temp.

(z) f. c. CONRADI in historia usuc. ff. 13.

(a) in l. 13. ff. i. ff. de Iureiur.

(b) Cossicæ. Lib. 19. Cap. 10. n. 2.

(c) in l. 10. ff. si seruit, vindic.

sed etiam contra quemcunque impedientem. (d) Omne dubium, si quod superest, IVSTINIANVS sustulit, cum noua lege cauit, vt, is qui rem aliquam iusto titulo per decem vel viginti annos bona fide possedit & longi temporis exceptionem contra dominos eius vel hypothecam prætendentes sibi acquisiuit, posteaque fortuito casu possessionem eius rei perdidit, etiam actionem ad eam rem vindicandam habeat, atque veteres leges, si quis eas recte inspexerit, idem sanxisse palam pronuntiat. (e) Vnde colligitur, longi temporis præscriptionem tam secundum ius Digestorum, quam Codicis actionem produxisse, hoc saltem discrimine, si bene coniicimus, intercedente, quod aetio, quae initio *Vtiliter* competebat, postea *Direkte* data fuerit. (f) Quod tamen non ita accipiendum, quasi dominium per oppositam exceptionem diuidatur, & directum, vti quibusdam videtur, penes dominum remaneat, utile vero bonae fidei possessori præscriptione acquiratur, isque rei vindicatione utili gaudeat: sed, quod longae possessionis præscriptione dominium tum temporis subtilitate iuris non acquireretur, nec eadem relata esset inter modos acquirendi dominium, non domino autem rei vindicationem directam concedere a iuris ratione alienum videretur.

X.

NVM EX PRAESCRIPTO NONGISSIMI TEMPORIS
ACTIO NASCATVR?

Quam vero IVSTINIANVS præscriptioni longi temporis decem vel viginti annorum velut modo acquirendi dominium concesserat vim producendæ actionis, eam longissimi

qui-

(d) CONRADI l. c. *Pretorium remedium fuisse docet E. OTTO in Diff. de usuc. seruit. Cap. 2. ff. 8.*

(e) in l. 8. ff. 1. C. de prescript. long. temp. 10 vel 20 annor.

(f) conf. Vir Summus s. DE COCCEII in *Iure Controv.* Lib. 41. quest. 29. n. 1.

quidem temporis præscriptioni pariter indulxit, sed cum moderata hac, ut loquitur, diuisione, ut, si is, qui dominum præscriptione vicerat, bona fide eam rem ab initio tenuisset, simili vtatur præsidio & vi dominii præscriptione quaesiti, rei vindicatione gaudeat: sin vero mala fide illam adeptus fuerit, indignus eo videatur, nec amissa possessione a priore domino, vel ab alio quocunque possessore, vindicare eam queat. (g) Supponit itaque Imperator speciem qua possessor rei alienae dominum longissimi temporis exceptione submouit, postea vero possessione rei iterum excidit atque de ea vindicanda sollicitus est. Et actionem quidem illi hunc in finem concedit, sed tum demum si ab initio possessionem ipse bona fide naētus sit. Sin vero malæ fidei possessor dominum longissimi temporis præscriptione submouit, quod fieri vtique potest: tunc illa exceptionis naturam retinet, adeoque nec dominium adiicit, nec vindicationem præscribenti tribuit, sed videndum, vtrum prior dominus rem iam possideat, an creditor, qui eam suppositam antea habebat, an vero extraneus aliquis. Ac illis quidem Imperator commodum tribuit detentionis, si conueniantur. Tertio vero rem possidente, pristino domino vel creditori vindicationem concessit: non obstante eo, quod hi a priore possessore 30 vel 40 annorum præscriptione submoti fuerint, vt pote quod tanquam exceptio de iure tertii ultimo possessori non est præsidio. Vnde porro sequitur, solum 30 vel 40 annorum lapsum ad excipiendum sufficere, nec malam fidem eatenus impedire præscriptionem. Quod tamen exceptionem habet, si quis possessionem violenter abstulerit: hoc enim casu domino indistincte vidicatio permittitur. (h)

XI.

(g) in l. 8. ff. 1. & 2. C. de præscript. 30 vel 40 annor.

(h) conf. PEREZ in C. Lib. 7. tit. 39. n. 15. G. O. DE BERGER
in diss. de rebus merae facultatis ff. 9. sub præsidio B. CLAPRO-
THII ventilata.

XI.

AN OMNI PRAESCRIPTONI INSIT SPECIES
ACQUISITIONIS?

Qualemque vero præscriptionis formemus ideam, siue eam consideremus tanquam meram exceptionem, ad excludendam intentionem actoris comparatam, siue vocabulum accipiamus pro modo acquirendi dominium; illud profecto exploratum est, præscriptionem respectu præscriptoris nunquam non coniunctam esse cum quodam emolumento. Id quod mouit I. P. Kressum, (i) ut statueret, omni præscriptioni ultimo inesse speciem acquisitionis: Etenim præscriptio vel dominium adiiciat, vel libertatem restituat, vel immunitatem tribuat; vel ab obligatione liberet. Verum non ita satis expedita res est. Distinguendum potius inter præscriptiones, quae possessione vel quasi possessione nituntur, & quibus reus se tueretur, quamvis nihil possideat. Illæ iure nouo utique modum acquirendi dominium constituant, adeoque sui natura ad acquisitionem re vera tendunt. Hæ autem velut exceptiones saltem prosunt ad submouendum actorem, cuius intentio post lapsum temporis lege definiti ne quidem fundata est. Vnde supra iam obseruatum fuit, præscriptiones, quatenus in terminis nudæ exceptionis subsistunt, nec effectum habere acquisitionis, nec extinguere ius alterius, sed excludere saltem actionem. Quamobrem longa possessione res in iure saepe

(i) in Diff. de genuina natura & indele vetust. Cap. 2. §. 12. not. 1.
conf. V. A. IOANNES ERNESTVS HOEPFNER in Diff. de
necessario bone fidei requisito ad prescr. action. person. §. 12.

sæpe quidem dicuntur acquiri, nuspia autem de iuribus
vel actionibus legitur, quod præscriptione extinguantur.

XII.

D I V E R S O R E S P E C T V P R A E S C R I P T I O N E M
E T A C Q V I S I T I V A M D I C I P O S S E E T
E X S T I N C T I V A M .

Haud tamen ea de cauſa explodendam putamus re-
ceptam distinctionem præscriptionis, in acquisitionum & ex-
tinctiuām, vtut illam aliter, ac vulgo, explicandam cen-
seamus. Quamuis enim præscriptio, quatenus exceptio-
nem significat, nec dominium tribuat, nec ius alterius ex-
tinguat, sed actionem faltem excludat: tamen quatenus
possessione nititur & usurpationi exæquata est, modumque
acquirendi constituit, vtramque appellationem diuerso re-
spectu admittit. Quoties enim de effectu eius quæſtio inci-
dit, duplex reuera inspectio est; vna, quae ad commo-
dum spectat, quo præſcriptibentis conditio melior redditur:
altera, quæ incommodum respicit, quod in alterum, con-
tra quem præscribitur, redundat. Quodſi commodum illud
conflixt in acquisitione dominii, vel feruitutis aut iuris alicuius,
quo præscribens antea destituebatur, præscriptio ratione
præscriptibentis apposite ſatis dicitur **A C Q V I S I T I V A**, quia
ius, quod hactenus fuerat alterius, non extinguitur, ſed
in præscriptibentem transfertur vel eidem ſub alia forma acqui-
ritur. Sin autem incommodum, quo is, contra quem præ-
scriptio procedit, coniunctum ſit cum totali interitu iuris
alicuius formaliter exiftentis, tunc præscriptio respectu
eius, contra quem procedit, non inuita ratione vocatur
E X S T I N C T I V A, licet præscriptibenti eadem quid acquira-
tur, de quo infra pluribus.

XIII.

iurium per non usum haud confundenda.

19

XIII.

QVO SENV PRAESRIPTIO DICATVR ACQVISITIVA.

Exposita præscriptionis indeole atque natura, in proclivi erit definire, quo sensu illa dicatur acquisitiua. Nimirum, quatenus dominium rei alienæ, vel ius, quo habetens destituti fuimus, eadem acquiritur, nec ius alterius extinguitur, sed in præscribentem saltem transfertur, eate-
nus præscriptio merito dicitur acquisitiua. Est illa usucaptionis æmula & velut in supplementum eius inuenta atque si a differentiis nonnullis, quæ remanserunt, discesseris, vix ac ne vix quidem ab illa differt. Quamobrem & usucaptionis & longi temporis præscriptionis nomina promiscue usurpari videoas. Quænam vero res hac ratione acquirantur, quæ non acquirantur, nunc quidem disquirere non vacat.

XIV.

QVANDO PRAESRIPTIO TRANSLATIVA DICATVR
ET QVANDO CONSTITVTIVA.

Quemadmodum vero illa respectu eius, contra quem procedit, interdum habet effectum iurium extinctuum, ita pro diuersa casuum ratione & translatiua & constitutiua dici potest. Quoties enim quis eadem iure suo penitus priuatur, ita ut dominum vel aliud ius formaliter existens sub eadem forma in præscribentem transferatur, toties præscriptio TRANSLATIVA audit. Talis est illa longæ posses-
sionis præscriptio, qua res, quæ habetens fuerat alterius, bona fidei possessori acquiritur. Etenim hoc casu nec ius, quo prior dominus gaudebat interit, nec nomen eius, sed persona cui illud competebat saltem mutatur, quandoquidem res, quæ antea erat in dominio alieno, iam præscri-

C 2

bentis

bentis esse incipit. Quoties vero non dominium aut quasi dominium in præscribentem transfertur, sed aliud ius a domino diuersum præscriptione nouiter formatur, & eidem acquiritur, toties præscriptio **CONSTITUTIVA** appellatur. Pertinet huc præscriptio seruitutum, v. gr. *vſusfructus*. Quamuis enim hic antea fuerit pars dominii alieni, vnde velut ex materia sua formatus est, atque eatenus reuera quid ex alieno in præscribentem transferatur, non eadem tamen ratione ad eum spectat *vſusfructus*, qua is pertinebat ad dominum. Hic enim, quia res propria nemini seruit, iure dominii re vtebatur fruebatur velut sua: ille iure seruitutis nouiter quæstæ emolumentum percipit ex re aliena, saluo alterius dominio, adeoque non iure proprietatis, sed seruitutis. Quod si non vtendo *vſusfructus* interit, vel cum proprietate consolidatur, tunc & nomen & ius *vſusfructus* perit, secus ac in præscriptione translatiua, ubi persona tantum mutatur. Eiusdem generis tandem sunt reliquæ præscriptiones, quibus, priuilegia immunitates, superficies, emphyteusis, feudum aliaque iura formantur & acquiruntur. (k)

XV.

**PRAESCRIPATIO EXSTINCTIVA QVOMODO DIFFERAT
AB INTERITV IVRIVM PER NON VSVM.**

Quæ cum ita sint, extra dubitationem positum videatur, iura præscriptione & transferri & constitui & extingui. Ad extinctiuam præscriptionem in specie quod attinet, opus est, vt nobis caueamus a communi errore, quo præscriptio hæc confunditur cum interitu iurium, qui fit per non vsum, citra vllam præscriptionem. Quemadmodum enim longæ possessionis præscriptio, quatenus iure nouo modum acquirendi constituit, eo statim momento,

quo

(k) *TITIVS in iur. priu. l. 2. c. 3. & in not. ad Laut. obs. 1033. n. 3.*

quo tempus lege definitum præterlapsum est, dominium trahit, licet prior dominus nec egerit, nec exceptione submotus fuerit: ita præscriptio temporis, quatenus reus non possidens illa velut mera exceptione se tuerit aduersus eum, cuius ius non vnu & temporis lapsu periit, ad interitum nihil confert, sed ius extinctum supponit & actionem motam saltem excludit. Vnde nostro iudicio labuntur, qui seruitutes, iura & actiones præscriptione extingui dicunt, quoties non vtendo pereunt ipso iure, antequam is, qui ius suum neglexit, confessoria experiatur & exceptione removentur. Et vt generaliter dicamus, quoties reus præscriptione se tuerit, nec in possessione est, illa nunquam habet effectum extinctiuum, sed in terminis nudæ exceptionis subsistit, &, vt saepe monitum est, actionem saltem excludit. Qui ergo de præscriptione extinctiuia sibi iudicium sumunt, ante omnia videant, vt rectas sibi forment notiones, nec illam confundant cum interitu iurium & actionum per non vsum, quem cum fatalibus processus rectius comparauit **GOTHOEREDVS OTTO de BERGER.** (1) Nobis ea demum præscriptio **EXSTINCTIVA** dicitur, qua ius alteri quaesitum extinguitur. Id quod nunquam fit, nisi quatenus illa possessione vel quasi possessione nititur & vñscapioni exaequata est. Quoties enim diutinae possessionis vel quasi possessionis præscriptione quid acquiritur: toties alter, contra quem præscriptio procedit, vel privatitur iure suo, ita, vt, quod hactenus ipsius fuerat, iam transferatur in alterum, vel ius eius plane extinguitur. Prior casus hic non pertinet. Posteriori præscriptio, quae ratione præscribentis reuera acquisitiua est, intuitu alterius extinctiuum effectum habet, ac ob id recte dicitur extinctiuia.

C 3

XVI.

(1) Cit. diff. de reb. mer. facult. Jf. 8. in fin.

XVI.

EXEMPLA PRAESCRIPCTIONIS EXSTINCTI-
VAE PROPOVNNTVR.

Exemplo sit v. gr. præscriptio, qua *immunitas* a collectis, operis rusticis aliisue oneribus publicis quaeritur. (m) Est illa ratione præscribentis utique acquisitiua, intuitu Fisci autem, cui soluenda sunt collectæ, vel domini cui opera præstandæ, vel alterius, qui ius in nostrum præiudicium quæsumum habuit, extinctiu. Expleto enim præscriptionis tempore perit ius exigendi collectas, operas rusticas & quæ sunt eius generis alia. Talis porro generatim est præscriptio, qua *priuilegia* acquiruntur. (n) Quam primum enim quis huiusmodi ius præscriptione naectus est, extinguitur ius superioris adigendi priuilegatum, vt det vel faciat id, ad quod reliqui omnes tenentur. Aliud exemplum suppeditat præscriptio superioritatis territorialis extinctiu, qua is, qui iura territorii negligenter tractauit & ab alio eadem in contrarium diutina quasi possessione exercere, aliumue se inde eximere passus est, ab ea iterum excluditur. (o) Nec male hic regularis usucaptionem libertatis, quam post confusa usucaptionis

(m) Erudite hoc tractauit vir perillustris I. V. DE CRAMER in programmata vernaculo idiomate publicato, von Erlangung einer Immunität durch Verjährung, 1740. Conf. F. C. HARPPRECHT. de præscript. immunit. a collect. Vol. II. diss. 71. L. B. DE LYNCKER decis. 1169.

(n) vid. B. IOAN. GOTH. SCHAVMBVRG in diss. de natur. privileg. tam gratios. quam conuent. §. XI.

(o) vid. MICHAEL GRASS de præscriptione superioritatis territor. acquis. §. 1. n. 2.

pionis & præscriptionis iura etiam præscriptione acquiri haud ambigui juris est. Quod cum sit, præscriptio seu vñscapio, quæ libertatem restituit, simul est seruitutum extinctiuæ. (p) Item, si quis feudum iusto titulo naëtus fuerit idque iure allodii per tempus legitimum bona fide tenuerit, ius feudi exstinguitur, & res quæ nexus feudalii adstricta erat, sit allodialis. (q) Plura exempla, vti passim obvia sunt, ita pauciora hoc loco attulisse sufficiat.

XVII.

P R A E S C R I P T I O N E S T E M P O R A L E S N O N
E S S E A C T I O N V M E X S T I N C T I V A S .

Quemadmodum itaque multum interest, non vtendo ius aliquod pereat, an præscriptione: ita distinguendum inter præscriptionem actionum extinctiuam & interitum illarum per non vsum. Præscriptio, quatenus possessione nititur, & ex parte altera gaudet effectu iurium extinctivo, non potest non perire, quæ exinde descendunt actiones. Ius quippe & actio, ceu correlata, tam arcte cohærent, vt diuelli a se inuicem non possint. Vnde eadem præscriptione, qua ius alterius exstingitur, & actio inde descendens, perit. (r) Alia temporalium præscriptionum ratio est, quæ in nudæ exceptionis finibus subsistunt, nec actiones extinguunt, sed ius temporis lapsu extinctum supponunt. Vt enim omnia fere iura certo tempore circumscripta sunt, quo elapsi viuere quasi desit.

(p) EVERHARDVS OTTO. in diff. de vnu cap. seruit. cap. 1.

(q) G. A. STRVIVS in syntagmat. Iur. feud. cap. 15. apb. 3. n. 10.

(r) TITIVS in not. ad Lauterb. Obs. 1033. not. 2.

desinunt: (*s*) ita, si actio, quæ exinde comparata erat, postea moueat, præscriptio locum habet. Hinc reus, tempore liberatus, ipso iure tutus est, ac ob id præscriptione se tuetur, ad impediendum litis ingressum. Nec obstat, quod PAVLLVS (*t*) eum habere dicat, quod obiciat. Nam omnis exceptio ipso iure elidens actionem alliganda est in iudicio, quamvis necesse non sit, item contestari. (*v*) Vnde sequitur, quod nulla præscriptio temporalis sit actionum extictiva.

XVIII.

DE BONA FIDE IN PRAESCRIPTIONIBVS GENERATIM.

Quibus præstrutis paucis adhuc dispiciamus de bona fide. Neque enim expedita omnia sunt in hoc argu-
mento cæteroquin trito & vulgari. Bona, fide ut paucis
rem complectamur, in præscriptionibus opus est ad ac-
quirendum dominium, non ad excludendam actionem.
Præscriptiones itaque quatenus terminos exceptionum
non egrediuntur, bona fide haud indigent. Quatenus
vero modum acquirendi constituunt & viuacipionibus ex-
æquate sunt, sine ea non procedunt. Hinc generatim
in temporalibus præscriptionibus bonæ fidei defectus alle-
gari nequit. Argumento est præscriptio vicennii, quæ
in cauillis criminalibus custoditur; (*x*), nec non præ-
scriptio

(*s*) vid. SAM. STRYCK. *de act. for. inuestig.* Sect. III. &³ Sect. IV.
de diuersis temporibus præscriptionum.

(*t*) *in l. 45. ff. de admin. & peric. tut.*

(*v*) ZANGERVS *de exceptionibus C. 10. P. 3. n. 20.*

(*x*) *l. 17. ff. de diuers. temp. præscript.*

scriptio decem vel viginti aut plurium annorum, qua reus aduersus eum se tuetur, qui seruitutem, priuilegium aliudue ius non vtendo amissum post lapsum termini lege definiti inique praetendit, vbi bona fides nec desideratur, nec concipi potest. (y) Quamobrem & hoc pertinet praescriptio actionum personalium, quae Iure Ciuili post lapsum triginta annorum moueri nequeunt. E contrario longae possessionis praescriptio, quae usuacionis instar dominium tribuit, sine bona fide non procedit. (z) Neque alia ratio est praescriptionis longissimi temporis. Haec enim uti comparata est, partim ad acquirendum dominium, partim ad excludendam actionem, ita priori casu bonam fidem desiderat, posteriori non aequa. Ac dominium quidem illa non tribuit, nisi praescribens possessionem rei ab initio bona fide naectus sit. Tunc enim possessione denuo amissa, rei vindicationi locus est aduersus tertium possessorem vi dominii praescriptione quaesiti. (a) Ad exceptionem vero sola possessio triginta vel quadraginta annorum sufficit, quamuis praescribens sit in mala fide, nisi possessionem rei violenter abstulerit, quo casu ne quidem exceptione contra dominum munitus est. (b)

XIX.

(y) vide supra §. VI.

(z) L. 2. l. n. C. de prescript. longi temp.

(a) L. 8. §. 1. C. de prescript. 30 vel 40 annor.

(b) D. l. 8. §. 1. C. de prescript. 30 vel 40 annor.

26 *De præscriptione extinctiua cum interitu*
XIX.

NVM BONA FIDE OPVS SIT IN PRAE-
SCRIPTIONE EXSTINCTIVA.

Ex dictis facile decidi potest quæstio, num in præscriptione extictiua opus sit bona fide? Qui negatiuam tuerintur præscriptionem extictiuanam non distinguunt ab amissione iurium per non usum. Et posita ista hypothesi verum omnino est, quod aiunt, malam fidem impedimento haud esse præscriptioni. (c) Quemadmodum vero iura & actiones per non usum extinguiuntur ipso iure citra villam præscriptionem, ita frustra queritur de bona fide. Vnde, si v. gr. ius decimandi non usu amissum est & dominus prædii seruientis præscriptione se tuetur, bona fidei defectus male allegatur. (d) Sin autem sermo fuerit de præscriptione, quæ intuitu eius, contra quem procedit, effetum habet extictiuum, tunc ex parte alterius, cui dominium vel aliud ius præscriptione acquiritur, omnino opus est bona fide. Ius quippe illius non interiret, nisi possessori ius quoddam præscriptione acquireretur. Huic autem possessio non prodesset ad acquirendum, nisi subnixa esset bona fide.

XX.

(c) conf. s. STRYCKIVS in Diff. de non usu iuris questi. cap. 3.
n. 64.

(d) I. H. BOEHMER in Diff. de præscript. circa decim. eccles. &
secul. §. 34.

iurium per non vsum haud confundenda. 27

XX.

CONCLVSION DISSERTATIONIS.

Exposita doctrina Iuris Ciuilis de praescriptione iuri-
rum extintiua eorumque interitu per non vsum, nec
non de bona fide in praescriptionibus necessaria vel non
necessaria, supereft, vt dispiciamus, quatenus Iure
Canonico his principiis sit derogatum. Verum tempore
exclusi vterius progredi nunc quidem prohibemur.

F I N I S.



Juristische Schriften im Hendelschen Verlage.

- Befike**, D. Io. M. G. comm. de cretione iure deliberandi & inuentario in ademanda hereditate, 4to. 773. 3 gr.
- — de alienatione hereditatis ad explicandam Leg. II. Dig. de hered. vel act. vend. & componendas clarissimor. ICtor. lites, med. 8vo. 774. 12 gr.
- — über die Quellen der Moralität und Verbindlichkeit, als die ersten Gründen der Moralphilosophie und des Naturrechts, 8v. 774. 5 gr.
- Brunquelli**, Io. Sal. opuscula ad historiam & iurisprudentiam spectantia, edidit atque coll. D. Hen. Io. Ott. Koenig, cum fig. med. 8v. 774. 1 thl. 16 gr.
- Charondæ**, (Ludou. ICti Parif.) de iurisdictione & imperio libellus, 4to. 2 gr.
- Crellii**, Christ. Ludov. Dissertationes atque Programmata, Fase. I — VII. cum figg. 775. & 77. 2 thl. 22 gr.
- werden fortgesetzt; jeder einzelner Fase. kostet 10 gr.
- Hetsler**, D. Phil. Iac. exercitationum academicarum ad diversas materias iuris pertinentium fasciculus, de annis 1750 - 1775. X. mater. continens, cum indice, 4to. 10 gr.
- Karo**, Rabbi Joseph, sententia Rabbinorum de successione ab intestato & testamentaria. collectæ in libro Schulechan Aruch, latine redditæ per C. G. Meyer, cum accessionibus G. H. Stuck, & præfatione Dan. Nertelbladt. med. 8vo. 775. 10 gr.
- Kemmerich**, D. H. liber de probatione consuetudinis & obseruantiae, tam priuata, quam publ. sive imperialis, cum indice necessario, 4to. 6 gr.
- Madibn**, D. Georg. Sam. exercitationum academicarum Halensium ad praestantiora maxime iuris ciuilis capita pertinentium, fasciculus; XIII. mater. continens, cum indice, 4to. 18 gr.
- Madibn**, D. Lud. Gottfr. opusculum I. viciſſitudines ſubſtitutionis exemplaris, eiusque vera in dolem continens. 4to 775. 9 gr.
- Menken**, G. Lud. introduct. in doctrinam de actionibus forensibus, ad vſus praefectionum acad. adita a G. S. Madibn. 8vo. 759. 10 gr.
- — opuscula, quibus multa maxime iur. ciuil. capita ad vſum fori ſpectantia proponuntur, in vnum vol. coll. 8vo. 770. 20 gr.
- Muretti**, (Marcii Antonii, ICti & ciu. Romani celeberr.) commentarii breues & perſpicui in titulos ad materiam iurisdictionis pertinentes. Argentor. 1608. reculâ Hale. 4to. 771. 3 gr.
- Reuter**, D. Io. Hartw. exercitationes academicæ praestantiora maxime iuris ciuilis capita illuſtrantes. IX. mater. continens, cum indice, 4to. 9 gr.
- Siccama**, Sibr. Tetard. de iudicio Centumurali Lib. II. iterum reconsuit, animaduſionibus instruxit, & opusculis argumentum illustrantibus auxit D. Car. Frid. Zepernick, med. 8vo. 776. 21 gr.
- Thosi**, And. gegenwärtiger Staat des päbſl. Hofes, worin Nachricht von den Ehrenſtellen, Congregationen, Gerichtshöfen, Aemterna und Ceremonien dēſſelben ertheilt wird; aus dem italiānischen mit Vorrede und Anmerkungen vñ P. E. Bertram, 8v. 771. 10 gr.

Marburg, Diss., 1749/52

VD 18

nur Bd. 1, u

TA - OC

f



Farbkarte #13



B.I.G.

DISSE^TRAT^O IVRIDICA

DE

PRAESCRIPTIONE EXTINCTIVA

C V M

INTERITV IVRIVM PER NON VSVM
HAVD CONFVNDENDA

A V C T O R E

AEM. LVD. HOMBERGK ~~III~~ Bach.

MARBVRG. CATTOR. MDCCCL.

Ob raritatem & argumenti præstantiam denuo typis expressa.

HALAE,

TYPI^S HENDELIANIS.